na nullo modo conueniunt eſſentie vt generare: ſpirare et ſimilia.
❡ Ad ſecūdum dicendū ꝙ oppoſitio affirmationis ⁊ negationis eſt
F Ad ſcōm. maxima ſecundū cōtinētiā vniuerſalitatis: qꝛ in omnibꝰ opponēti-
bus includiť: quodlibet eñi oppoſitū includit negationē ſui oppoſi-
ti: ſed nō eſt maxima ꝗtum ad ſuū fundamentū cū quandoꝗ fundeť
ſuper ſolā differentiā rationis ⁊ vbi fundatur ſuper realē differentiā
ſufficit propter ipſius oppoſitionis latitudinē qualiſcūꝗ realis diffe
rentia: qua vnū nō ſit aliud: ſed relatiua oppoſitio realis ſi ſit oppoſi
tio originis ex neceſſitate requirit realē diuerſitatē qꝛ realis eſt: ⁊ di-
uerſitatem ſuppoſitorū qꝛ eſt relatio originis. Origines eñi actiue et
paſſiue accepte reſpiciunt realiter oppoſita.

❡ Utrum filius ſit de ſubſtantia patris. Queſtio. ij.

G Queſt. ij. Arg. primum.

Secundo queritur vtrum filius ſit de ſubſtātia patris. Et videť quod nō. qꝛ dedit habi-
tudinem materie vel quaſi materie: ſed ſubſtantia vel
eſſentia diuina non eſt materia vel. q. materia genera-
tionis filij: ergo filius nō eſt nec generatur de ſubſtātia
patris. Maioꝛ patet. Sed minoꝛ probatur multipliciter. Primo ſic.
Illud quod eſt materia vel quaſi materia in generatione eſt ſubiectū
forme communicate genito a generante: ſed eſſentia vel ſubſtātia nō
eſt ſubiectum alterius forme communicate filio a patre (nihil enim
communicat pater filio per generationem niſi ſubſtantiam ſuā que
non ſubijcitur ſibijpſi) ergo eſſentia diuina nō eſt ſubiectū in genera-
Arg. ij. tione. ❡ Item ſubiectum in generatione dici poteſt fieri hoc vel tale
ſicut in alteratione que eſt generatio ſecundū quid vt cū aqua caleſit
aqua poteſt dici fieri calida licet non poſſit dici fieri abſolute et ſim-
pliciter. Similiter in generatiōe ſimpliciter materia poteſt dici fieri
formata licet nō poſſit dici fieri ſimpliciter et abſolute: ſed in gene-
ratione diuina eſſentia non poteſt dici fieri etiā cum quacunꝗ addi
tiōe: ſed quocūꝗ aduenieñs abſolutū: vel relatū: nō abſolutū: qꝛ nullū
tale eſt in diuinis aduenieñs eſſentie: nec relatuꝫ qꝛ eſſentia dicitur
fieri relata: ergo eſſentia nullo modo eſt ſubiectū in generatiōe diui-
Arg. iij. na. ❡ Tertio ſic. ꝙ principium producens requirat materiam vel
quaſi materiā: hoc eſt ex imperfectione eius: ſed pater generās filiū
eſt perfectiſſimum agens: ergo non requirit aliquid qđ ſit materia
In oppoſitum. vel quaſi. ❡ In contrariū arguitur: qꝛ aut filius generatur de aliquo
aut de nullo: nō de nullo qꝛ ſi ſic crearetur: ergo de aliquo: ſed nō de na-
tura vel ſubſtantia aliena: qꝛ tunc filius nō eſſet verus deus: ergo de
Arg. iiij. ſubſtantia propria. ❡ Itē quando aliquid eſt de alio: ⁊ eſt ei cōſubſtā
tiale poteſt dici eſſe de eius ſubſtantia: ſed filiꝰ eſt a patre et eſt ei con
Solutio qſtionis. ſubſtantialis: ergo eſt de eiuſdeꝫ ſubſtātia. ❡ Reſpōſio. In mō loquē
di ſic cōſueuimꝰ dicere ꝙ eſſe de aliquo eſt eſſe de aliquo ꝑexiſtente ⁊
H permanente in re facta. Unde cū in creaturis nihil preexiſtens ma-
neat in re facta niſi materia: in eis nihil ꝓprie dicitur eſſe de aliquo
niſi materialiter accipiendo: ſicut dicimus cultellū eſſe vel fieri de
ferro et ſic de ſimilibus: ꝓpter qđ in diuinis id qđ habet rationem
materie vel quaſi materie eſt illud de quo eſt generatio ⁊ res genera-
ta. ❡ Sed aduertendū eſt ꝙ cū generatio nō ſit vniuoce in diuinis ⁊
in creaturis nō eſt ꝗrenda vniuocatio totalis hic et ibi ꝗtū ad illud
de quo eſt generatio: et etiaꝫ ꝗtū ad alia que ſunt in generatione: ſed
Probatio. j. ꝙ filius eſt de ſubſtātia patris. ſufficit inuenire ſimilitudinē cōpetentē ꝗtū ad ea que imperfectio-
nem non includunt. Et ſecundū hoc poteſt dici ꝙ filius generatur: ⁊
eſt de ſubſtantia patris: ita ꝙ illa prepoſitio de dicit circunſtantiam
materie vel quaſi materie qđ patet primo ſic. illud quod ſecundū no-
ſtrum modū intelligēdi preexiſtit filio ꝓducēdo ⁊ inexiſtit iam produ
cto ſe habet ad filiū vt de quo iam filius eſt: hoc patet ex precedētibꝰ.
I Et hec eſt conditio materie que non pertinet ad aliquā imperfectio-
nem: ſed ſubſtātia patris ſecundū noſtrū modū intelligēdi preexiſtit
Scđo ꝓbatur. filio generando ⁊ inexiſtit filio genito ergo ⁊c. ❡ Secūdo ſic qñcūꝗ
aliquid conſtituiť ex pluribꝰ oportet ꝙ vnū illorum ſe habeat ſm ra-
tionem materie et ꝑfectibilis: et alterū ſecūdū rationem quaſi actus
perficiētis: ſed filius cōſtituiť ex eſſentia ⁊ proprietate relatiua: ergo
oportet ꝙ alterū iſtorū ſe habeat quaſi in ratione materie: et alterum
quaſi in ratione actus: inter hec autē eſſentia magis videť ſe habere
in ratione materie ꝗ relatio qꝛ intelligiť quaſi ſubſtare relationi et
non econuerſo. qđ autē habet rationē materie eſt illud de quo eſt ge
neratio: quare ⁊c. ❡ Tertio ſic. illud eſt ſubiectū (vel quaſi) in gene-
ratione: quod recipit formam geniti ſed eſſentia diuina recipit in ſe
formam per quam conſtituitur genitum ſcilicet proprietateꝫ relati-
K uam: ergo ipſa eſt quaſi ſubiectum et materia de qua eſt generatio.
Tertio ꝓbatur. ❡ Sunt autem alique conditiones materie q̄ nullo modo cōueniūt
diuine eſſentie nec ſunt in generatiōe diuina querenda: quia perti-
nent ad imperfectionē que omnino denegatur a diuinis ſicut quod
ipſa eſt pura potentia et fit actu per aliquam formam abſolutam ſibi
L aduenientem. Item quod tranſmutatur de priuatione in formam
Ad primū principale. et quod acquirendo vnam formam amittit aliā ⁊ huiuſmodi. ❡ Ad
primum argumētū dicendū ꝙ ad rōnē materie vel quaſi materie in
generatione ſufficit ꝙ aliquo modo ſubſtet forme geniti: ſiue illa for-
ma ſit cōmunis genito ⁊ gñanti cōmunitate rei vel ratiōis ſpecifice:
ſiue nō modo in generatiōe filij: lꝫ pr̄ nō cōmunicet filio formam filij
M ſibi ⁊ filio cōmunē niſi eſſentiā a pr̄e: tñ eſt in filio nō ſolū eſſentia ſed
Ad ſcōm. relatio cui tāꝗ forme (large loquēdo de forma) aliquo modo ſubſtet
eſſentia. ❡ Ad ſcōm dicēdū ꝙ ſubiectū generatiōis dicitur fieri hoc
vel tale vbi terminꝰ ſub quo fit ſubiectū eſt aliquid abſolutū: ſic autē
Ad. iij. nō eſt in diuinis. ❡ Ad tertiū dicendū ꝙ imperfectionis eſt in agen-
te ꝙ requirat materiā extra ſe: ſed ꝙ agēs in ſe aliqđ habeat qđ alteri
communicet: et nihilominus teneat aliqualiter rationē materie nō
eſt imperfectionis ſed perfectionis: et ſic pater cōmunicat filio eſſen
N tiā ſuam que aliquo modo in generatione habet locū materie. ❡ Ar
gumenta alterius partis concedantur ratione concluſionis: propter
tamen primū aduertendum eſt quod nullo modo eſt dicēdum quod
filius ſit de nihilo qꝛ eſſe de nihilo eſt non habere in ſe aliquid quod
non ſit ab alio productum ita quod ſibi derelictum cederet in nihil.
In filio autem eſt eſſentia diuina que non eſt ab alio producta: filius
etiam nullo modo poteſt non eſſe ſed neceſſario eſt. Et ideo ei nō cō-
petit eſſe de nihilo ſed eſt de ſubſtantia patris modo quo dictū eſt.

❡ Sententia diſtinctionis ſexte in generali et ſpeciali.

Preterea q̄ri ſolet ⁊c. Superiꝰ magiſter mouit queſtiones circa generationis ſubiectū — O Diſt. vj.
vel terminum. Hic mouet quandam queſtionem circa
generationis modum. Et diuiditur iſta pars in tres.
Primo mouet queſtionem et determinat eam. Secun-
do remouet quādam obiectionem. Tertio exponit predictam deter-
minationem. Secunda incipit ibi. Cōtra hoc opponitur. Tertia ibi:
Predicta tamē vera. Prima diuiditur in tres partes. Primo mo-
uet queſtionē. ſecūdo eā determinat. tertio ex determinatione quēdā
erroꝛē excludit. Secunda ibi: nec volūtate nec neceſſitate. Tertio ibi
quo contra vt ait Aug. Hec eſt ſententia magiſtri in generali. ❡ In — A
ſpeciali vero ſic procedit magiſter et querit primo vtruꝫ pater genuit — Sentētia ĩ ſpeciali.
filium neceſſitate vel voluntate. Et reſpondet quod nec volūtate nec
neceſſitate. Neceſſitate nō: qꝛ neceſſitas nō eſt in deo: nec voluntate
quia ſic voluntas precederet ſapientiā. i. filiū qui eſt ſapientia: gene-
rans enim precedit genitum. Deinde erroꝛē. Eunomij excludit dicēs
ꝙ male dixit Eunomiꝰ qui artibus dialecticis deceptus ponit filiū — Eunomiꝰ dialectica faſcinať.
eſſe genitū voluntate intelligens (et male) volūtatem generādi filiū
patri acceſſiſſe de nouo quod eſſe nō poteſt. Sequeretur enim deum
eſſe mutabilem. Confirmat autem hoc qꝛ argumētū hereticorū non
eſt efficax. Opponit eñi hereticus pater autē volens aut nolens ge-
nuit filium. Si nolens ergo miſer eſt. Si volens ergo voluntate ge-
nuit filiū. Et dicit magiſter ꝙ hoc nō cogit: qꝛ ſic poteſt opponi pater
aut volens aut nolens eſt deus. Si nolens miſer eſt ſi volens ergo vo
luntate eſt deus: non natura quod falſum eſt. Unde concludit pr̄ nec
nolens nec volens genuit filium. Poſtea quandā obiectionē remo-
uet. Obiectio talis eſt. cū in diuinis idem ſit natura et voluntas. Si
pater genuit natura filiū ergo ⁊ volūtate. Et reſpondet dicens quod
licet in diuinis natura et volūtas ſint idem re in deo: differūt tamen
ratione: vel connotato. Unde ſicut ſciētia dei ſe extēdit reſpectu ma- — In diuinis voluntas et intellectus differunt cōnotato.
lorum: voluntas autē nō: ⁊ tñ ſcientia et voluntas in deo ſunt idē ita
etiā aliqđ cōuenit nature dei qđ nō conuenit voluntati licet ſint idē
in deo. Ultimo dicit ꝙ pater genuit filium voluntate cōcomitante
generationē nō precedente vel antecedente de nouo. Et in hoc termi
natur ſententia lectionis in ſpeciali.

❡ Utrum pater genuerit filium neceſſitate. Queſtio. j.

Circa diſtinctionem iſtā que- — B Queſt. j.
runtur duo. Primū eſt vtrū pater genuerit filiū neceſſi
tate an voluntate. Secundum eſt vtrum genuerit filiū
natura. ❡ Ad primum ſic proceditur. Et arguitur quod — Arguiť. j.
pater nō genuit filiū neceſſitate: qꝛ quod gratis dať non
datur ex neceſſitate ſed ſecunduꝫ Ric. de tri. pater quicquid dat filio
vel ſpiritui ſan. dat ſecundū amoꝛē gratuitū: ergo nō neceſſario: ſed ꝑ
generationē pater dat filio quicquid filius habet: ergo pater non ne-
ceſſario generat. ❡ Item aug. ad Oroſium. nec neceſſitate nec volun — Argui. ij.
tate pater genuit filiū. Et Hil. li. de ſyno. dicit ꝙ nō naturali neceſſi-
tate ductus pater genuit filium. ❡ In contrarium arguitur: quia ſi — In oppo.
pater nō neceſſario genuit potuit nō generare ⁊ per conſequens filiꝰ
potuit nō eſſe. Hoc autē eſt impoſſibile: ergo et primum: cōſequentia — C
patet: qꝛ nō neceſſe et poſſibile nō equipollent. ❡ Rñſio. neceſſariuꝫ — Rñſio ad queſtionē
dicitur multipliciter. Eſt eñi neceſſitas violētie ⁊ coactionis vt cum
lapis proiciť ſurſum neceſſitatur ad aſcēſum. Alia eſt neceſſitas ex-
pedientie ex ſuppoſitiōe finis ſicut volenti ire vltra mare neceſſe eſt
habere nauē. Ex his duobꝰ modis ſumiť neceſſariū ex cauſis extrin
ſecis q̄ ſunt agens et finis. Eſt tertia neceſſitas. ſ. immutabilitatis q̄
ſumitur ex cauſis intrinſecis: vel ex aliquo qđ eſt de eſſentia rei: ſicut
neceſſe eſt hominē eſſe rationalē ratione forme vel coꝛruptibileꝫ ra-
tione materie. Pricipia autē intrinſeca ad q̄ ſequiť talis neceſſitas
quandoꝗ ſunt cauſata actiue ab alio ſicut eſt in oībꝰ citra deum. Et
ideo ſicut in eis principia rei dependent ab alio ita et neceſſitas con
ſequens principia propter quod in his nō eſt neceſſitas ſecundū po-
tiſſimum gradū neceſſitatis. In deo autē nihil eſt qđ ab alio depen-
deat. Et ideo neceſſitate immutabilitatis que in deo eſt ſumma eſt ⁊ — D
prima neceſſitas. Dicendū ergo cū q̄riť vtruꝫ pater genuerit filiū ex — In diuinis cadit neceſſitas.
neceſſitate ꝙ ſi loquamur de differentia neceſſitatis q̄ eſt coactiōis
quod talis nullo modo cadit in deo. Qđ patet dupliciter. Primo qꝛ
neceſſitas coactionis eſt a potentioꝛe: ſed deo nihil eſt potentius er-
go ⁊c. Scđo qꝛ neceſſitas talis non eſt in cognoſcentibus ſine triſti-
tia (. v. meta.) ſed triſtitia non cadit in deo. ergo nec talis neceſſitas.
Si autem loquamur de neceſſitate ſecūdo modo dicta q̄ eſt neceſſi-
tas expediētie ex ſuppoſitione finis: ſic dicēdū ꝙ talis neceſſitas non
eſt in deo quo ad actꝰ interioꝛes: q̄ nō trāſeūt in creaturā pōt tamē in
deo eſſe quo ad actꝰ qui in creaturā trāſeunt. Primum patet ſic. Si
actus manētes in deo ſiue eſſentiales / ſiue notionales fierent ex ſup
poſitione alicuiꝰ finis: aut ille finis eſſet in diuinis aut in creaturis.
Sed neutrū horuꝫ pōt eſſe ergo ⁊c. Probať minoꝛ qꝛ finis potioꝛ eſt
his que ſunt ad finē: ſed nihil qđ ſit in creaturis pōt eſſe potiꝰ his q̄
ſunt in diuinis (imo nec eque bonū) in diuinis etiam nō eſt gradus
bonitatis vt vnū ſit potiꝰ altero: ergo nihil eſt in diuinis nec ĩ crea-
turis ad qđ tāꝗ ad finē ordineñť actꝰ diuini intra manētes. Cū ergo
generatio filij ſit actus manens in diuinis patet ꝙ pater non genuit
neceſſitate q̄ eſt ſuppoſitione finis. ❡ Secundū ſic patet: qꝛ licet deꝰ — E
et ea q̄ in deo ſunt non oꝛdinentur ad aliud tanꝗ ad finē tñ actus di-
uini trāſeuntes in materiam exterioꝛem et res per eos producte ha-